

I. N. J. C.

DISSERTATIO ACADEMICA

DE

LUXU AVARI,

QUAM

*Conf. Ampl. SENATUS Philos. in Reg. Acad.  
Aboënsi,*

PRÆSIDE

MAG. JOHANNE  
BILMARK,

HISTOR. AC PHIL. PRACT. PROFESSORE ORDIN.

*Publice examinandam modeste sifit*

JOHANNES ISAACUS  
EKEGREN,

Alumnus Regius.

In AUDITORIO MAJORI Die XXI Junii

Anni R. S. MDCCLXXIV.

H. A. M. C.

---

A B O Æ

Impressit JOHANNES CHRISTOPHORUS FRENCKELL.

Kongl. Maj:t

Tro-Tjenare och Ryttmästare,

Wålborne,

Herr CARL GUSTAF  
UGGLA,

Om det är för mig omöjeligt, att tolka både  
Herr Ryttmästarens beständiga godhet, såsom  
och min skyldiga och wördnadsfulla årkjänsla;  
så torde imedertid, til desz något bättre tilfälle upp-  
pas, detta mitt Första Academiska Arbete, hvilket  
jag i all ödmjukhet Herr Ryttmästaren uppsöfrar,  
få blifwa et wedermåle af hwad Herr Ryttmästaren  
til min fördel gjordt och hwad jag ännu bör gjöra. Hün-  
len bekröne Herr Ryttmästaren med alt fielfbegär-  
ligt godt, då har jag wunnit min önskan, under det  
jag med beständig wördnad framhärdar

Wålborne Herr Ryttmästarens

Ödmjukaste Tjenare

JOH. I. EKEGREN.



## PRÆFATIO.

**Q**uum sordities hominis avari adeo sit nota, ut eadem in proverbium fere abierit; haud paucis obveniet mirum, quod nos in præsenti opella de luxu avari nonnulla disserrere constituerimus. In ipso igitur opusculi hujus limine profiteri liceat, quod isthanc operam non eum in finem in nos suscepimus, quasi paradoxa nobis arrideant, aut vitium gravissimum, radicem omnium malorum, immerito quodam virtutum fuco incrustare velimus, ut sic avaritia, si non pulchra, minus tamen deformis appareat; minime gentium, nostra enim indoles postulat, ut scapham scapham, quod trito circumfertur adagio, appellemus. Harum igitur meditationum scopus est, tum ut dilucide ostendamus, luxum avari non imaginarium esse, nedum chimericum, sed realem, tum etiam ut ansa nobis præbeatur; indolem avaritiæ aliquanto plenius, quam communiter a Moralistis fieri solet, explicandi. Pergratum omnino nobis erit, si quidquam in medium adferre queamus, quod non prolsus triviale censi possit.

### §. I.

Quod de tempore quondam dixit Hipponensium Præsul, *AUGUSTINUS*, scilicet si nemo ab ipso quareget, quid tempus esset? tum optime quidem hoc sciret, at

Si quis forte postularet exactam temporis definitionem, nihil haberet, quod apposite satis respondere posset; idem ferme valet de indole ac notione *luxus*. Siquidem omnes quidem intelligere nobis videamur, quid luxus sit, sed adæquatam ejus ideam vix quisqueam tradere ha-  
ctenus potuerit. Communis est notio, quod luxus sit, quicquid nimium censeatur. Enimvero cum limites e-  
jus, quod in vita communi habeatur *nimirum*, *satis* &  
*parum*, haud determinari queant, siquidem hæc ipsa ab  
opinione, quin & vanitate hominum, sibi ipsis raro si-  
milium, dependeant; sequitur, quod idea luxus sit rela-  
tiva, adeo ut quod respectu Sempronii *nimirum* censea-  
tur, idem respectu Titii vix tantum, quantum *satis* est,  
haberi possit. Atque hi quidem diversi respectus, ide-  
am luxus ingredientes, impediunt, quominus adæquatuma  
luxus conceptum nobis formare queamus. Si quis di-  
cat, quod luxus in copia rerum, imprimis minus neces-  
sariarum, consistat, minime tamen hic rem acu tetigisse  
censendus erit. Quid enim, quæso, est illud, quod ad  
minus necessarium referri debeat? Siquidem tam neces-  
faria, quam minus necessaria dependeant ab opinione &  
æstimatione acquirentium. Pergat tamen quispiam,  
& dicat, quod res superfluæ, saltem minus neces-  
sarie sint variæ, quibus in vita communi facile carere  
possimus, veluti exquisita supellex, magnificus equo-  
rum, curruum & vestimentorum apparatus, longa pedi-  
sequorum series, & alia his similia. Ita quidem calculos  
subducit parcus, a quo tamen toti dissentunt ambitiosi  
ac voluptuosí, qui hæc omnia ad suam dignitatem, ipsa  
etiam vita nonnunquam illis cariorem, tuendam adeo  
necessaria judicant, ut stomachum quandoque defraudare,  
& ea, quæ ipsa postulat natura, sibi denegare non dubi-  
tent, modo satis splendide vivant, & propter suam ma-  
gnificentiam ab obviis passim celebrentur. Si quis luxum  
definiat

definiat per copiam rerum elegantium, ne sic quidem characterem luxus distinctivum exhibet, siquidem vita elegantia pro diversa hominum indole admodum variet, & siuum cuique pulchrum videatur. Alii rursus sibi tallem luxus ideam formarunt, ut idem in eo consistat, si quis majores faciat sumptus, quam conditio & facultates ejus permittant: sed nec muneris conditio nec facultates cuiuslibet indivulso nexu inter se cohærent. Multi enim in honorum fastigio sunt constituti, quos nec ex vestium nitore, nec ex ædium amplitudine dignoscere licet. Multi etiam ingentes quotannis faciunt sumptus, sed ita tamen, ut ne conjectando quidem quis adsequi possit, quibus rebus tantum pecuniarum impendant. Esto autem, quod luxus terminum, a quo incipit, determinare haud valeamus, hoc tamen minime impedit, quin luxum, dum veluti consistentiam quandam naectus fuit, quilibet oppido dignoscere possit. Si igitur exactam luxus definitionem non exhibeamus, aliqualem tamen ejus tradimus descriptionem, dicendo, quod luxus consistat incopia rerum ad jucunditatem, commoditatem & ornatum vitæ pertinentium.

## §. II.

Pergimus ad alterum, quod in rubro Dissertationis nostræ comparet, vocabulum explicandum, paucis tantummodo indolem avaritiae exposituri. Docet experientia, quod nostris animis alte sit impressum studium, nostram promovendi felicitatem, & ea omnia consecrandi adminicula, quibus ad isthanc votorum metam pervenire possimus. Quum itaque ex communi hominum estimatione & opinione numus in se contineat pretium virtuale rerum, in commercium venientium; non admodum mirum est, si homines studio pecunias acquirendi ferantur, ut eo commodiorem ac jucondiorem suam reddant vitam. Sicut igitur affectus nostri, appetitus vel

aversationes, dum intra justos coercentur limites, suis  
 non destitwuntur utilitatibus, ita etiam cupiditas haben-  
 di, per se considerata vel saltē dicto modo constricta,  
 nibil involvit, quod reprehensione prorsus dignum foret.  
 At si isthæc cupiditas justæ moderationis transgrediatur  
 limites, quo quidem modo emergit avaritia, quæ im-  
 modica est habendi cupiditas, tum demum vituperatio-  
 nem meretur, siquidem omne nimium vertatur in viti-  
 um. Accidit enim in Moralibus sæpe, quod in Physicis  
 contingere observamus. Sicut enim modicus victus fes-  
 fas corporis reficit vires atque sanitatem confirmat, im-  
 modicus autem cibus & potus necessariam digestionem  
 impediendo facit, ut cruda multa in corpore relinquantur,  
 quæ tam robur corporis labefactant, quam vigorem  
 animi sensim imminuant; ita habendi cupiditas per se  
 innoxia, ubi in avaritiam degeneravit, homini admo-  
 dum exitiosa evadit. Simpliciter dicamus: avaritia est  
 admodum noxia, sive moraliter, sive civiliter vitium  
 hoc consideremus: siquidem illius œstro percitus plera-  
 que officia DEO, sibi ipsi & aliis præstanta turpiter vi-  
 olet, ut tantummodo vehementiæ adfectus sui satisfaciat.  
 DEUM quidem subinde serio colere videtur, re tamen  
 ipsa est Idololatra, qui numis suis aras erigit, fiduciam  
 que suam non in Creatore, sed in rebus collocat crea-  
 tis, eisdemque vilissimis. Quid enim est aurum, quam gle-  
 ba quædam terrestris, quam color, raritas & pondus a-  
 liquantum commendant, nullum fere in se pretium ha-  
 bens, quippe quod totum ab hominum dependet opi-  
 nione. Quam frigidus porro est ille cultus, quo avarus  
 DEUM prosequitur. Omnis profecto pietatis species e-  
 vanesceret, nisi sibi haberet compertum, DEUM esse o-  
 minium bonorum Auctorem & Distributorem, adeoque  
 in motivis pietatem exercandi apud avarum primas sibi  
 partes vindicant bona, quæ a munifico Creatore exspe-  
 ctat,

etat, proxime autem collocat ipsum DEUM. Si enim  
 nubila quandoque incident tempora, quibus vel succes-  
 sus votis ejus non responderet, vel jacturam quandam for-  
 tunarum suarum ex improviso facere cogitur, tota ejus  
 pietas confestim vacillat & sensim deficit, adeo ut DE-  
 UM Optimum injuriæ sibi præter meritum illatae expo-  
 stulare non dubitet. Enimvero sicut vitia pleraque in-  
 ter se sunt concatenata; ita non solum in DEUM est in-  
 jurius ac contumeliosus, sed in alios etiam gravis atque im-  
 probus. Quas enim fraudes, doles, malasque artes non  
 comminiscitur, quas non adhibet machinationes, ut sal-  
 tem specie justi rectique alterius sibi vindicet bona. Nem-  
 pe unde & quomodo habeat, parum est sollicitus, sed  
 oportet habere; satis sua ex opinione est generosus, si  
 modo satis pecuniosus fuerit. Si bona quædam aliis  
 subinde præstet avarus, hæc ipsa sunt hamata, eo direc-  
 ta, ut insigni cum fœnore paulo post eadem recolligat.  
 Nec officia, sibi ipsi debita, rite observat avarus, quam-  
 vis propter se solum primo intuitu vivere videatur. Con-  
 tinuis enim distinguitur curis, quare subtristis plerum-  
 que incedit; obsoletis & longa hæreditate sibi relictis uti-  
 tur vestibus, quin et tenui ac parabili victu contentus,  
 genium suum sæpe defraudat; svaviorum quidem fercu-  
 lorum cupidus, si modo eadem absque ullis obtineret  
 impensis; quamobrem si quando lautius prandeat aut co-  
 net, foris hoc ipsum fieri, domi autem splendide esurit.  
 Vivit ut pauper, ut dives moriatur; custos magis pec-  
 uniarum suæ, quam Dominus, qui sollicite computare so-  
 let non quantum possideat, sed quantum adhuc deside-  
 ret. Civiliter etiam considerata avaritia, est admodum  
 noxia, quippe quæ facit, ut stagnatio pecuniarum exi-  
 stat, quæ industriam multorum civium sufflaminat, adeo  
 ut hi desiderent occasionem victum & amictum nec non  
 alia necessaria vitæ adminicula sibi comparandi.

## §. III.

Quicunque ea, quæ in medium hactenus attulimus, æqua pensitaverit lance, non dubitat, quin avaro luxus quædam species competat, hoc tantum cum discrimine, ut quum luxus in ambitiosis ac voluptuosis sit totus fere ad ostentationem comparatus, idem apud avarum majorem soliditatem, & si barbare liceat loqui, realitatem habeat. Quod enim avarus in omnium rerum copia vivat, tanto minus quispiam inficias ibit, quam ne quidem avarus ipsum hoc negare audebit, quamvis non tantum possideat, quantum suis responderet cupiditatibus, quippe quæ plus ultra semper tendunt. Omnis luxus fundamentum est procul dubio vanitas, sed num eadem minor est in avaro, quam in ambitioso ac voluptuoso? Comparari quidem hæc species vanitatis inter se non possunt, siquidem heterogeneæ sint & in diversa plane tendant; non tamen propterea dici potest minorrem in avaro vanitatem, quam in ceteris modo membratis inveniri. Singula enim hæc affectuum suorum mancipia sensum humanitatis, & virtutis speciem, saltem sua ex opinione servare nituntur. Sic nemo, quantumvis opibus inhicit, avarus censeri vult, sed vitæ suæ rationem specioso virtutum fuco incrustare nititur. Se enim moderatum, temporibusque prudenter inservientem, se exactum & cordatum jactitat Oeconomum, qui pretium novit divitiarum, quas voluptuosus ac ambitiosus temere dilapidant. Novit præterea, quod æstimatio popularis crescat pro ratione divitiarum, quas quispiam habere putatur, adeo ut ipse Homerus, si opibus destituatur, vix dignus judicetur, qui in honestam quandam domum recipiatur. Rideant versipelles Thrasones tenuem avari victimum, distormem habitum, & alia his similia, ipse vicissim ridet illorum ignorantiam & recordiam, qui ignorant, quod si vel minimam, quam possidet,

det, auri & argenti cistam referare vellet, mox ipsos confunderet. Solatur se, quod si a levibus hominibus nonnunquam contemnatur, a magnis tamen viris, qui merita ejus cognoscunt, prolixus ipsi laepissime honor exhibeatur.

## §. IV.

Dicat autem quispiam: quod in vita avari desideratur ea jucunditas, ea commoditas atque is ornatus, in quibus præcipuum luxus momentum consistit. Sed sicut diversæ admodum sunt hominum indeoles ac diversa judicia, ita diversa quoque studia hinc existunt. Volutuosus enim summam experitur jucunditatem, dum rebus, sensus ejus externos titillantibus, fruitur, quando opiparis vescitur epulis, & Falerna bibt vina. Summam judicat commoditatem, dum ministrorum cingitur grege, quorum singuli non modo iusta Domini strenue capessunt, sed nutus etjam ejus confessim exsequuntur: ornatum denique vitæ consistere putat in aurea & argentea supellectili, in vestibus auro & gemmis condecoratis. Alia autem est ambitiosi indeoles, qsi nihil æque jucundum putat, quam in Principum ac Optimatum versari aulis, & alios atque alios honorum capessere gradus, in quibus constitutus, veluti Sol ceteros cives, tamquam obscuros planetas, honorum lucem & beneficiorum calorem a se mutuantes, rugoso despicit supercilium. Ambitus quoque totus quantus quasi extra se est, & dum externam magnificentiam, quo demum cunque modo comparatam, jactare potest, internam familiæ suæ constitutionem parum curat. Avarus quoque saltē ex sua opinione, aliorum autem de se judicia, ut frivola, in hoc negotio parum curat, æque jucundam, commodam atque elegantem degit vitam, ac quisquam aliis. Quæ enim sensatio est jucundior ea, quam in sinu suo experitur avarus, dum ingentes auti & argenti cumulos, sua

congestos industria, contemplatur & cumulat, dumque a prætereuntibus se juxta milliones aestimari audit. Opera ministrorum non q idem utitur, verum & hanc non commodam sed maxime incommodam & homine ingenuo prorsus indignam censet. Quum omnis fere ornatus auro & argento suam debeat originem, avarus non potest ornatu destitui, siquidem memoratis metallis ferme luxuriet. Non quidem cum ambitioso omnia sua secum portat, sed ut hos confundat, qui patrimonia sua rebus levibus impendunt, æs alienum contrahunt, & in quævis vitæ pericula sese conjiciunt, tantum ut ceteris splendidiores videantur, avarus non raro servis suis permittit, elegantiarum imitari magistros, ipse interim eorum contemnit vecordiam, qui characteres hominis bene meriti ex vestibus & fercularum pompa petunt. Si præsens eorum vita quidquam habeat, quod levium hominum admirationem, quin & invidiam movere possit, futura tamen eorum conditio erit commiseratione dignissima. Similes enim sunt graculo in fabulis, qui deciduis aliarum avium plumis sese magnifice ornavit, at dum quæque harum sua repetere spolia cœpit, sibi relicta in omnium contemtum incidit.

## §. V.

Contendat autem quispiam, quod ad luxum imprimis requirantur usus atque ostentatio; quamobrem quum experientia doceat, quod avarus vix audeat suum aurum & argentum contrectare, ne pecuniae ipsius diminuantur, & quum ipse præterea Plutum suum sollicite occultet, luxum iphi competere negant. Enimvero robur hujus objectionis in ipsis vocabulis *usus* & *ostentatio* totum latet, quorum notiones quum admodum varient, igitur illa in antecellum a nobis sunt evolvenda. *Usus* & *possessio* alicuius rei in multis casibus habentur voces plane synonymous, adeo ut non minus is, qui suas

suas conservat pecunias, dici possit eisdem frui, ac ille, qui ut vanitati suæ satisfaciat, totum suum dilapidat patrimonium. Soluta ingenti pecuniarum summa, Chrysolithus sibi adamantem quendam comparat pretiosum, quo obtento domum revertitur gaudii plenissimus. Meridies est, & tamen portas ac fenestrarum valvulas probe claudit, candelas in obloero accendit cubiculo, ut singulas hedras adamantis sui, & earum refractiones tanto distinctius contempletur. Hoc autem non semel aut bis facit Chrysolithus, sed saepius quolibet die suos versat adamantes, quomodo animum & oculos suos insigni pascit voluptate. Aut igitur hic pretiosis suis utitur lapidibus, aut nemo præterea. Haud multo aliter se vanitas habet avari. Ut Chrysolithus suos admiratur adamantes, ita avarus suum aurum & argentum. Hic enim die nocteque suas computat pecuniarum summas, omnes Regularum combinationis modos sibi sistit, eosdemque expendit, ut maxime proficuos eligat. Sicut se torquet avarus, qua ratione ex quolibet obolo proficuum ac insigne percipiat lucrum; ita quisque videt, quod usum pecuniarum nunquam negligat. Verum quidem est, quod avarus rebus ludicris parum impendat, sumitibus tamen minime parcit, quoties certa adfulget lucri spes. Qui divitiis sibi a majoribus relictis incubat, hic quidem tenax est, re autem ipsa non est avarus, siquidem hujus proprium est, quod sua sorte non contentus intensissimo plura iudicis acquirendi studio feratur, quod plane frustraneum, si congestis opibus frui nolit. Denique sicut Chrysolithus ingentem inventit delectationem, dum rutilum contemplatur adamantum splendorem; ita quoque avarus dum in diversis mensis adspicit cumulos ducatorum & thalerorum Imperialium, flavo & albo rutilantium colore, non minus exsultat. Contemplatur igitur congesta hæc ædificia ex singulis visus punctis, jam

directe, jam superne, jam ex obliquo; quæ quidem consideratio tanto vividior ei obveniet, quum amœna species cum insigni etiam sit conjuncta utilitate, quæ quidem voluptas non evanescit, quod voluptuosis plerumque accidere animadvertis, sed nova quotidie capit incrementa.

### §. VI.

Sunt profecto tam avaritia quam prodigalitas duo vitia, quæ in extrema plane diversa abeunt; quapropter difficile omnino est dictu: utra earum eum in modum corrigi possit, ut in virtutem mutetur. Habet enim utraque speciem quandam virtutis, siquidem avaritia ad parsimoniam & prudentiam, prodigalitas autem ad liberalitatem & humanitatem utcunque accedat. Enimvero virtus in medio consistit, & extrema quælibet effugit. Si igitur queratur, quænam gravius & magis noxiū sit vitium vel avaritia vel prodigalitas, sive utraque moraliter sive politice consideretur, fateor quæstionem hanc admodum esse ancipitem. Supponamus autem heic quandam metamorphosin, eandemque experientiæ non contrariam, adeo ut quis prodigus fiat avarus & vicissim avarus fiat prodigus. In casu priori prodigus ille ex communī aliorum opinione censetur prudens factus, siquidem tam suæ, quam familiæ suæ saluti jam consulere incipiat: dum e contrario avarus, qui sumptus prodigi imitatur, ab illis quidem laudatur, qui fructum impensarum ipsius abunde percipiunt; prudentes autem levitatem ejus tacite saltem rident. Porro avarus tenacitate sua sibi non nunquam nocet, attamen curam suorum saltem ita gerit, ut post obitum ejus mendicitatis squalorem non extimescant, sed ex sudore ejus commodam degere possint vitam: contra ea prodigus, dum in vivis est, familiæ suæ conditionem, nisi Attalicæ ipsi fuerint opes, indies deteriorem reddit, quam decedens ita plerumque defo-

desolatur, ut emergendi nulla fere amplius spes supersit. Melius autem procul dubio est, laudem liberalitatis non aucupari, quam beneficia illis subtrahere, quibus eadem maxime debemus. Profecto iniquum est, justis possessori- bus sua subducere, ut immerentibus eadem largiamur. Tam avarus, quam prodigus sibi ipsi nocet, uter autem eorum sibi magis obsit, haud facile dici potest. Avarus sibi ipsi necessaria denegat, ut superflua augeat; prodi- gus quoque præsertim circa vitæ exitum necessaria non raro desiderat, quia superfluis præter rationem usus fuit: ille inedia, hic nimia abundantia morbos contrahit, sed hujus, quam illius acutiores esse solent dolores. Si de- niique Politice utramque, avaritiam scilicet & prodigali- tam consideremus, primo quidem intuitu multis mo- dis præstantior videtur prodigalitas; siquidem circulatio- nem pecuniarum, quæ ad opulentiam reliquorum ciui- um multum confert, promoveat. Enimvero sicut pro- digus rebus ludicris pretium imprimis statuit; ita illi po- tissimum per ipsius profusionem lucrum sentiunt, qui il- las excolunt artes, quæ magis ad morum corruptionem, quam ad solidam aliorum felicitatem conducunt. Pro- digus enim, qui amplissimas possidet divitias, exteris invisere regiones plerumque cupit, in quibus opinionem viri opulenti tuiturus, bona sua temere dilapidat; & vi- cissim domum, fractam valetudinem, corruptos mores, læsam conscientiam, & æs alienum reportat; adeoque exteri majores agunt quæstus ex prodigo; quod erjam fieri solet, quamvis domi remaneat, siquidem domesti- ca, quantumvis exquisita & affabre facta, ipsi sordeant, crepundiis autem, e longinquo petitis, ingens statuat pre- tum. Præterea quum prodigus singula ad tuam referat voluptatem & delectationem, viri autem bene meriti neu- tram promovere vel possint vel velint, hinc in adulato- res tantum & homines nullius frugis bona sua confert;

virtutem subinde laudat, sed semper algere finit. Videamus nunc, quomodo se gerat avarus, hic ipse crumenas auri & argenti distentas industriae occludit, at sic ubi spes lucri adfulget, fortasse non dubitat easdem referare. Esto etiam, quod avarus, dum vivit, obscuris locis thesauros suos condat; attamen post obitum ejus e carceribus suis in lucem prodeunt, & si homines coævi quid desiderent, pecunia tamen exteris non traditur, sed posteri fructum ejus colligunt. Quaritur autem: an avarus etiam aliquando beneficis sit? Forte nec hoc negari potest, licet simul sit concedendum, quod pleraque ejus benefacta sint hamata, & quod se ipsum potissimum, etiam dum benefacit, respiciat. Ponamus enim, quod Sempronius ancipiti quadam lite detineatur, ex qua, si superior evadat, magnas obtinet divicias, si autem caussa cadat, cum ipso conclamatum erit. Ad exoptatam autem sententiam multum contribueret pecuniæ summa, qua tamen penitus destituitur, nec rationem ullam novit, ipsam impetrandi, siquidem singulis ejus cognatis ac familiaribus sit res angusta domi. Convenit igitur divitem quendam Chremetem, qui promittit quidem desideratam pecuniæ summam, sed pro insigni usura. Sempronius, in angustiis constitutus, accipit conditiones, quamvis duras sibi propositas, & ope hujus pecuniæ mutuo sumptus Superior a lite decedit, atque sic cum aliquo dispendio ingens fortunarum suarum facit compendium. Debitum autem Chremeti soluturus duritiem ejus & enormem usuram, quæ caritati, aliis hominibus debitæ, & legibus civilibus e diametro repugnat, reprehendit; Chremes vero urget, casum heic fuisse necessitatis & pactis ac conventionis esse standum. Quocirca observamus, quod sicut intempestiva est Sempronii querela, potuit enim accipere expetitam pecuniam & non accipere, accepit autem, adeoque in hoc casu dici non potest, quod volenti facta sit

fit injuria; ita Chremetis ratiocinia speciosa tantum sunt; & aliquid ponderis tunc haberent, si amor proximi va-  
num tantummodo nomen & praeceptum omni obligatio-  
ne destitutum foret. Amici Sempronii in dubia crisi i-  
psum deserunt, vel saltē opem, quam tantopere desi-  
derat, præstare nequeunt; avarus autem Sempronio suc-  
currit, non quidem sine aliquo ejus incommodo, quod  
tamen mediocre est, si perpendamus, quod sine Chremetis  
interveniente auxilio jacturam forte tam honoris, quam  
fortunarum suarum fecisset. Præterea avarus solvit, quod  
debet, non quidem totum, sed majorem tamen ejus par-  
tem, idque præstituto tempore; prodigus autem semper  
de mutuando, nunquam vero de reddendo aut solvendo  
est sollicitus, & si quando eroget, creditores suos negli-  
git eisque false irridet, ut voluptatum suarum ministris  
solvat. Denique quæ jam allata sunt non eo trahenda,  
quasi nomen virtutis vel avaro vel prodigo vindicare co-  
nemur; absit enim, ut augustum hoc nomen indignis tri-  
buamus, sed ostendere tantummodo volumus, quod mi-  
nor sit avari quam prodigi dementia.

## §. VII.

Inter argumenta levitatis ingenii humani refert Liber Baro HOL-  
BERG, quod senes sint magis avari, quam juvenes. Certe excusationem  
quamdam mereri videtur juvenis, si tenax esset, quippe qui e portu sol-  
vens longum habet iter, quod absolvat; contra ea autem avarus portum,  
quo tendere debet, jam fere prospicit, absolum vero censetur, eo plus  
viatici querere, quo minus via restet. Sed quis queso senex est, qui non  
putet, se annum & ultra vivere. Ceterum dantur rationes memorate levitatis  
eædemque tam Physice, quam Morales. Senex enim satiensus habitans  
hospitum ruinam ejus continuo metuit, adeoque opes sollicite congerit  
congestasque conservat, ut futuris suis usibus consulat, nec inopie in-  
commoda decrepitus sentiat. Contra ea juvenis, qui robur corporis ac  
animi experitur, nihil metuit, in diem vivit, divitias parum curat, siquidem  
in quolibet fortune casu se sibi sufficiendum existinet. Præterea ho-  
norari vult senecus, que quum multiplici didicierit experientia, quod pau-  
pertas, præcipue in etate ingravescente contentus esse soleat, igitur divi-  
tias tamquam administrula & conceptam de se opinionem & pristinam di-  
gnitatem tuendi sollicite custodit. Quamobrem dum omnia fere via cum in-

gravescente ætate, non aliter decrescant, ac plantæ succu nutritio destituta  
avaritia sola cum annis adolescit, & majorem consistentium nancisci videtur.

## §. VIII.

Quæri etiam in hoc argumento potest: An avaritia cum honestate &  
probitate ita consistere queat, ut avarus etiam probus esse possit? Id quod  
simpliciter negamus: quum enim avaritia sit vitium teterimum, & pro-  
bitas sit virtus eximia, altera profecto de altera sine periculo contradic-  
tionis praedicari nequit; id quod non solum in theoria, sed in praxi et-  
iam verum esse animadvertisimus. Sumamus autem exemplum non vulga-  
re sed illustre ac luculentissimum. Scilicet consideremus ipsum Catonem  
Censorem, lumen illud Reipublicæ Romane, quem BALZAC, celebris  
Auctor Gallicus, appellat ipsam probitatem humana figura vestitam & sum-  
mum iustitiae apicem: *La probité incarnée & la Souveraine justice.* Atta-  
men hacce elogia minime quadrant in feneclutem Catonis. Ipse enim il-  
lum nuncupat hominem Divinum & immortalibus dignum laudibus, qui  
propria industria reditus suos ita augeret, ut accessorium superaret prin-  
cipale. Videamus autem, quid per industram intellexerit. Primo exer-  
cuit usuram maritimam, ut maximam, ita omnium iniquissimam. Deinde  
civiles & domesticas sumit usuras, non lege prescriptas, sed quantas co-  
gere potuit maximas tam a civibus quam a suis servis. Ut necessarias im-  
pensas misueret, ipse una cum servis arabat agros, & que tenui vidi-  
& sordido amictu utebatur. Amabat quidem, ut Pater familiæ, servos,  
quamdiu ipsi infervire possent; si autem ætate provecti aut infirmi essent  
illos confessim vendidit. Si servi ejus forte corrumperent servas; ut ha-  
liberos parerent, utriusque penas pecuniarias imposuit; quid? quod so-  
luta pecunia quodvis licentia ac libidinis genus servis suis facile indufse-  
rit. Ita autem duplii modo suos adauxit reditus, partim per impositas  
multas, partim per auctum servorum numerum. Quum uxorem suam  
amisisset Cato, ut sumtibus parceret, uxores cum servis aliquamdiu ha-  
buit communes, & quum filius Catonis vaga patris libidine indignaretur,  
ipsum hoc modo punivit, ut secundas contraxerit nuptias. Præterea nus-  
piam legimus, quod Cato vel obolum egenti dederit, aut civibus suis  
humanitatis præstiterit officia. Sunt etiam nonnulli, qui magnum hunc  
Catonem insimulant, quod Delatoris partes sepius in republica egerit, &  
quod odio prosecutus sit non tam vitia, quam homines vitiosos; præsertim  
si spes quedam luci adfulgeret, ut alia reticemus vitiorum momenta,  
qua kuic Viro tantopere celebrato objici solent. Discant igitur vel ex  
hoc exemplo atheismi patroni, & gentilium praecones, quod gentilium  
pleraque virtutes, speciosæ magis, quam vere fuerint, & cernui ve-  
nemur summam DEI bonitatem, qui ad veram virtutum co-  
guitionem ex sua gratia nos deduxit.

S. D. G.